Corduben. Præstimonij.

43

Stantibus &c.

Dubium: *An sit standum, vel recedendum à decisis in casu &c.*

Reu. Pater. CEnsuit Sacra Rota die 21. Ianuarij huius anni *exequendas esse litteras Apostolicas* D. Petri Velaschi Principalis, quibus à san. mem. Innocentio XIII. prouisus fuerat de Præstimonio, vacato per obitum Blasij Beltran de Gueuara de mense Aprilis anni 1720. Sanctæ Sedi Apostolicæ reseruato; & summo quidem iure; quia licèt ex parte Domini Lucæ del Puerto Aduersarij oppositum fuerit, non potuisse idem Præstimonium vacare per obitum dicti Blasij Beltran, cuius fauore ipsi idem Præstimonium resignauerat, dum adhùc resignatio per adeptionem possessionis Resignatarij effectum non erat sortita, constitit tamèn quod cum resignatio liberè admissa fuisset per Papam, & Gratia fauore Resignatarij concessa plenariè, & absolutè per litteras in forma gratiosa expeditas, & ipsius Gratiæ tempore omnimodè iustificatas, tale ius erat Resignatario quæsitum, vt etiam non superuenta possessionis adeptione, Præstimonium ad ipsum iàm pertineret, & ex eius Persona procul dubio vacare diceretur, vt ex egregia *decisione dicta die edita coram R. P. D. Corio Ponente.*

Aduersus quam cum nouam Audientiam D. Lucas Aduersarius obtinuerit, contingit, vt hodie Causa reproponatur sub præinserto dubio, cui, subsistentibus firmissimè eiusdem Decisionis fundamentis, credimus respondendum omnino, *in Decisis*, proùt etiam humillimè deprecamur.

Agitur enim de executione litterarum Apostolicarum, quarum iustificatio vsque ab initio ita in cæteris euidens comperta fuit, vt in controuersiam fuerit tantummodò reuocata ex triplici illò fundamento, quod prouisio, quam obtinuit Dominus Petrus Velascus Principalis processerit ex falsa expressione vacationis per Resignationem; Quod nec vera possit substineri expressio vacationis per obitum Resignatarij, Quodque in omnem casum hæc quoque expressio deficiat in necessaria designatione certi mensis reseruati, in quo contigerit eadem vacatio; sed vnumquodque ex his fundamentis facilè remouetur dilucidis illis responsionibus, quas admisit Sacrum Auditorium in memorata nostra fauorabili Decisione.

Primum enim expressæ vacationis per resignationem, seu affectionem inductam ex appositione manus Papæ, sublatum remanet ex facto, dùm ex supplicatione signata per Papam, & litteris ad eius formam transcriptis, seu correctis expressio vacationis legitur alter-

A nati-

natiuè concepta, ita = *Adhuc per Resignationem prædictam, seù per dicti Blasij obitum, aut alias alio certo modo vacauerit, & vacet ad præsens* = *nostro præterito Summario additionali num.*2. & 3. in modum, vt stante tali alternatiua expressione in dicta supplicatione, & litteris correctis, verificari sufficiat vacationem sequutam per obitum Resignatarij in mense reseruato, cum hic sit vnus ex modis vacandi alternatis, & in alternatiuis satis sit, quod vnum, vel alterum verum compertum sit, ad tradita per *Lotter. de re benef. lib.*3. *qu.*8. *num.*14., & ad firmata cum alijs relat. in egregia nostra decisione §. *Facilis, decis.*139. *num.*1. *coram Coccin., decis.*33. *num.*18., & *decis.*389. *num.*2. *coram Priol., & in Colonien. Vicariæ* 10. *Nouembris* 1710. §. *Atque hæc coram Rmo D. Lancetta.*

Neque obstat, quod attendi non possint litteræ correctæ ad formam supplicationis ob decretum R. P. D. Regentis Cancellariæ declarantis, intelligendam esse correctionem *sine præiudicio Iurium vtriusque Partis*, itaùt cum talis correctio fieri iure non potuerit; quia quando litteræ restringunt gratiã, tunc statur litteris, & non supplicationi, iuxta auctoritates exaduerso repetendas, videatur tendere in præiudicium D. Aduersarij, & sic eadem correctio habenda sit, ac si facta non esset. Quoniam vltra quod huiusmodi decretum R.P.D. Regentis nullo numero haberi posse videtur tamquam contrarium facto ipsius Cancellariæ, quæ agnito errore Scriptoris, seù Expeditoris demandauerat iam correctionem, seù transcriptionem litterarum Domini Principalis ad formam suæ supplicationis, obiectio totaliter submouetur, dum constat, quod omni Iure talis correctio fieri debuit: Certa enim erat expressio vacationis per obitum Blasij Resignatarij facta in supplicatione Domini Principalis, & certa item erat voluntas Papæ concedendi etiam ex ista vacatione, dum non solum signauerat supplicationẽ, vbi erat exposita talis vacatio, & ita manifestam fecerat voluntatem concedendi gratiam plenariè perfectam etiam ex isto capite, & modo vacationis, vt ex signatura gratiæ arguunt *Lotter. de re benef. quæst.*23. *num.*29., & *seqq.*, *Rot. decis.*418. *num.*1. *part.*1. *diuers. decis.*94. *num.*1. *coram Rut.*, *decis.*445. *num.*40. & 41. *coram Bich., in rec. decis.*808. *num.*12. *part.*18., *decis.*372. *num.*2., & *decis.*678. *num.*16. *part.*19., verum etiam in ipsis litteris præmiserat idem Papa, Beneficiorum reseruationem sibi competentem *ex Regula* 9. *Cancellariæ*, & enumerauerat omnes menses illius vigore sibi reseruatos, quod fecisse dici non potest, nisi ad hoc, vt litteræ essent conformes supplicationi habenti narratiuam vacationis in vno ex ijsdem mensibus reseruatis; aliàs talis præmissa designatio reseruationis mensium, & Regulæ 9. fuisset superflua, quod dici non debet, dum eum obtinere potest sensum, vt processerit ex Papæ voluntate, qui gratiam voluerit, & litteras esse conformes supplicationi, vt bene aduertit nostra decis. §. *Non facessente in fin.*

Hoc

Hoc namque posito, termini restrictionis gratiæ sunt inapplicabiles; vtpote qui in eo tantum casu locum obtinent, in quo constet, litteras restrinxisse gratiam præcisè ex voluntate Papæ: Cessante autem omni certitudine talis voluntatis, & imò ea stante in oppositum, dum Papa nullum dedit indicium recedendi à gratia perfecta per signaturam supplicationis, & constitit non ex volita per illum restrictione, sed ex omissione, & errore Officialis processisse, vt in litteris mentio non fieret de modo vacandi per obitum Resignatarij, proùt facta fuerat in supplicatione, quo sanè casu intrant profectò termini, cum quibus processit Sac. Auditorium in fauorabili decisione §. *Non facessente*, correctionis, & transcriptionis earumdem litterarum, quæ datur omni Iure, quoties aliquid plus, vel minùs continetur in supplicatione per Papam signata, quam in litteris, cum supplicatio habeat se instar Matricis, cum qua omnimodè litteræ debeant concordare, vt docent *Butr. cons. 49. num. 4. vers. His non obstantibus, Rebuff. in prax. Benefic. tit. de reformat., & correct. Bullar. num. 2.*, ibi = *quando reformandæ sunt Bullæ, seu rescribendæ? Respondeo quando &c. & quando non sunt conceptæ iuxtà Signaturam, sicut quando Instrumentum non correspondet Protocollo &c. & Mandos. ad regul. Cancell. lib. 2. reg. 27. vers. decimonono, n. 5. & 6. Ros. de execut. litt. Apost. lib. 1. part. 1. cap. 9. num. 18. & 19. Corrad. in prax. dispens. lib. 2. cap. 3. num. 25. & 26. Rot. dec. 161. n. 9. part. 18. rec.*

Quod ex ea profluit apertissima ratione, quod quantum attinet ad gratiam, ea perfecta est in Signatura Papæ, vt probant *Lotter. de re benefic. alijque mox allegati.* Error verò Officialis in tali omissione, quicquam Gratiæ Papæ detrahere non debet, neque Parti, seu Prouiso præiudicium irrogare, vt paritèr monent *Butr. dicto cons. 49. num. 4. & seqq. Corrad. in prax. dispens. dicto cap. 9. num. 25. Adden. ad Ludouis. decis. 108. num. 16. in fin. Rot. decis. 255. nu. 8. & seqq. coram Caualer.*, & proindè neque dici vllo modo potest, quod talis correctio sit noua Gratia, cum non fiat, nisi ad conformationem Gratiæ iam perfectæ in supplicatione cum litteris, noua non detur, neque signetur supplicatio, & imò etiam sequatur, vt contigit in præsenti casu, absque alio sumptu Prouisi, & sic nullam importet restrictionem, aut immutationem Gratię Papę in supplicatione contentæ, vt probant *Rebuff. in prax. dicto tit. de Reformat. n. 1. ChoKier. ad reg. Cancell. reg. 26. sub litt. L.*, & plenè distinguendo *Amayden. de stylo Datariæ lib. 1. cap. 10. num. 2.*

Secundum itèm fundamentum, quod vacatio contingere non potuerit per obitum Resignatarij, cui possessio Beneficij resignati quæsita non fuit, sublatum omninò remanet ex firmissima illa distinctione, quod si litteræ Resignatarij sint expeditæ *in forma Dignum*, tum quia per huiusmodi litteras Papa non confert, sed conferre mandat Ordinario, alijsque Executoribus, præmissa verificatione coram eis nar-

ratorum ab Impetrante, & adimplemento conditionum, siquæ in gratia continentur, itaùt Resignatario Ius non quæratur, nisi post sequutam huiusmodi verificationem, & demandatam ab Ordinario executionem, tunc inquam Beneficium vacare ante talem executionem non possit per obitum Resignatarij, cui ius non fuit quæsitum, neque abdicatum à Resignante; Si vero litteræ sint expeditæ *in forma Gratiosa*, vt sunt illæ Domini Petri Principalis, relatæ *in præterito Summario num.3.*, tunc, quia Gratia totaliter perfecta est apud ipsum Papam, præuia etiam coram eo narratorum verificatione, & Executoribus nudum demandatur ministerium tradendæ possessionis, ius illicò in Beneficio, & omne illius dominium, præcisiue à quacunque possessione, acquiritur Resignatario, & Beneficium vacat per illius obitum, licet, vt dictum est, possessionem adeptus non sit; Et hanc distinctionem optimè probant *Zec. de Benefic., & pens.cap.13. num.8. vers. ex his, Paris. de resignat. lib.10. tit.2. quæst.6. num.54. & seq. Garz. de Benef. part.2. cap.1. num.146., Tondut. quæst. Benef. lib.1. cap.69. num.41. & seq., Ros. de Execut. litter. Apost. par.1. cap.14. num.69. & 135., Rot. decis.263. num.12. coram Duran. decis.33. num.7. coram Dunozzett. Iun. decis.177. num.6. & seq., & decis.191. num.2. coram Celso*, in quibus declarantur *decision. coram Put.*, aliæque auctoritates in contrarium allegatæ, *decis.270. num.2. part.17.*, ibi = *Nam cum ad eius fauorem essent die 3. præcedentis expeditæ litteræ resignationis in forma Gratiosa, non autem in forma Dignum, seu mandati de prouidendo, vt supponebatur, consumpta remansit præcedens vacatio ex causa resignationis, & Beneficium vacasse dicitur per obitum Resignatarij, quamuis possessionem non fuerit adeptus* = *decis.508. num.3. part.19. rec. tom.2., & in Legionen. Parochialis 15. Ianuar. 1703. §. final. coram bo.me. Pio.*

Contra quam distinctionem minime iuuat insurgere vago illo argumentandi genere, quod pendere non debeat à formalitate vnius, vel alterius modi expediendi litteras Apostolicas abdicatio Iuris à Resignante, & acquisitio eiusdem Iuris fauore Resignatarij; quia non est formalitas modi expediendi Gratiam, sed substantia eiusdem Gratiæ, quando est expedita in forma Gratiosa, quæ ob verificationem, & perfectionem gratiæ coram Papa, tribuit huiusmodi Ius Resignatario, cassatque illud Resignantis, qui si decedat, non iàm amplius per eius obitum vacat Beneficium acquisitum ex Papæ collatione facta in forma Gratiosa suo Resignatario, vt cum alijs relat. auctoritatibus docent *Ros. cit. part.1. cap.15. à num.68. ad 72., Rot. decis.261. num.2. coram Cerro, decis.172. num.6. & seq. coram Celso, & dicta dec.270. num.2. & seq. par.17. rec.*

Minusque ad eius efficaciam euitandam substineri potest, quod litteræ Principalis non sint quidem in forma Gratiosa, sed in forma Dignum, seu Commissaria, in quam saltèm resoluantur, quia agatur de Beneficio, ad cuius titulum Lucas resignans fuerat ordinatus, &

Papa

Papa de facto qualificauerit collationem cum clausula *Asserenti se Philosophiæ, & Theologiæ studuisse, prædictum verò Lucam aliundè commodè viuere valere, & sub dicti Beneficij titulo ad Sacros Ordines forsan promotum fuisse*, quasi hæc clausula conditionem inducat coram Executore verificandam. Quandoquidem certum est, quod ad effectum dignoscendi litterarum qualitatem, an scilicet in forma Gratiosa censendæ sint, vel in forma Commissaria, recurrere opus est ad Bullam executorialem, seù mandatum datum à Papa illorum Executoribus, vt eo inspecto, & comperto, vt in præsenti, quod nullam penitus expectat verificationem, & à nulla pendet conditione, dum Papa postquam in litteris dixerat *Conferimus, & prouidemus*, in dicta Bulla dicit purè, & absolute = *Blasium, vel Procuratorem suum eius nomine in corporalem possessionem Beneficij &c. inducatis auctoritate nostra* = semper litteræ censendæ sint in forma Gratiosa, non expectantes vlteriorem vllam verificationem, & illam plenariè factam præsupponentes coram ipso Papa ita absolutè mandante, Resignatarium in possessionem induci Beneficij resignati, vt egregiè firmat *decisio, quæ reuidetur* §. *Neque verò*, & docent, separando vtrumque genus litterarum, *Rebuff. in prax. de form., & declarat. nouæ prouis. num.4. Vbert. de mod., & ratione citandi part.4. de Iustificat., & execut. litt. Apost. vers. litteræ in forma Gratiosa fol. mihi 250. Amayden. de Styl. Datar. lib.1. cap.5. qu.1. num.6. Paris. de resignat. lib.8. quæst.7. num.187., Ros. de Execut. litter. Apost. part.1. cap.2. num.1. in fin., & num.71.*, optimè, de more, *R.P.D. Calcagnin. in prax. vtriusque Signatur. post primam partem obseruat. practic. legal. cap.4. num.39. & seqq. Rot. dec.62. num.9. coram bo.me. Ansaldo*.

Hinc proinde nullum præbet argumentum conditionalitatis earumdem litterarum, quod Præstimonium ab Aduersario resignatum esset illud, cuius titulo ad Sacros Ordines fuerat promotus, quodque necesse ex hoc foret verificare, aliunde viuere posse, ità etiam iniungente expositiua illa *Asserenti te &c.* Nam dum extra omnem quæstionem est ex illarum tenore, quod eædem litteræ sint expeditæ in forma Gratiosa, efficit earum natura, vt sint incapaces cuiuscumque conditionalitatis, quam idcircò recipere non possunt neque ex qualitate Beneficij, neque ex clausula *Asserenti te* = non habente talem efficaciam in litteris in dicta forma Gratiosa expeditis inducendi talem conditionalitatem, aut necessitatem vllius verificationis, vt optimè declarant *Adden. ad Buratt. decis.708. num.15. & 16. in fin. litt. B., Adden. ad Gregor. decis.57. num.14. Rot. decis.278. num. fin. part.12. rec.*, ibi = *Non obstante clausula vt asseris ibi adiecta, cum hæc gratiam conditionalem nullatenus constituat* = Nihil ad intentum Partis conferente dispositione Sacri Concilij Tridentini *sess.21. cap.2. de reformat., & constitut. S. Pij V. 32.* §. *In cæteris*. Quia cum non importent, nisi quod in resigna-

tionibus facienda sit specialis mentio, quod Beneficium resignatum sit illud, cuius titulo Resignans fuit ordinatus, vt notant *Barbos. ad idem Concil. loc. cit. n. 22., & de offic. & potest. Episc. par. 2. allegat. 29. num. 32. Ros. de Execut. litt. Apostol. cap. 14. num. 4. & seqq. Rot. decis. 441. num. 1. ibique Adden. num. 9. coram Gregor., & decis. 733. num. eod. coram Dunozzett. Iun.*, & huic dispositioni fuerit satisfactum in hypothesi nostra, vt constat *in præterito Summario num. 2.* nulla indè neque tacita, neque expressa conditionalitas induci potuit; & si fuisset inducta, verificata censenda esset coram ipso Papa, qui conscius de qualitate Beneficij sibi expressa, & de præmissis dispositionibus, præuia iustificatione facta à Resignatario per legitima documenta, quòd Dominus Aduersarius Resignans haberet ex pingui pensione, & Beneficio, vnde plusquam commodè viuere posset, resignationem illius perfecit litteris expeditis *in forma Gratiosa*, quæ non exigunt vlteriorem aliam iustificationem, sed illam plenariè sequutam præsupponunt coram eodem Papa; neque vllam patiuntur suspensionem, sed immediatam obtinere debent executionem, vt benè ponderauit *nostra decis. §. Vtique*, & passim firmauit Sacra Rota *in Carpentoracten. Parochialis de Mozan. 28. Iunij 1700. §. Absque eo quod coram bo. me. Muto, in Hydruntina Beneficij 6. Februarij 1717. §. Indubia coram R.P.D. Cerro, & in Monasterien. Beneficij 4. Decembris 1722. §. Idque cor. eod.*

Id verò in hac re omnem videtur tollere hæsitationem, quod non omnis conditio impedit acquisitionem Iuris à die perfectæ gratiæ fauore Resignatarij, sed ea tantum, quæ percutit non executionem, sed substantiam gratiæ, vt in fortioribus terminis resignationis, & gratiæ in forma dignum docuerunt *Garz. de Benef. part. 2. cap. 1. num. 144. & seq.* vbi plures antiquæ Rotæ decisiones; *Lotter. de re benef. lib. 3. quæst. 14. nu. 67. & 68. Card. de Luc. de Benef. disc. 35. num. 13.*, vbi quod hæc propositio est indubitata, *Rot. decis. 1433. num. 8. coram Coccin., decis. 283. num. 2. coram Carillo, decis. 256. num. 3. par. 12. rec.* Nam quando conditio respicit tantum executionem, eo ipso, quod conditio iustificatur, & iustificabilis ostenditur de tempore concessæ gratiæ, gratia, & prouisio Resignatarij habetur, ac si esset pura, & non ipsa gratia, neque eius substantia, sed sola executio est, quæ suspenditur vsque ad cognitionem, & declarationem Executoris, vt in durioribus terminis clausulæ appositæ in litteris Resignationis in forma dignum = *dummodo Resignans habeat, vndè commodè viuere possit*, = vel alterius = *Dummodò idoneus repertus fueris* = firmat præcisè *Rot. dicta decis. 283. num. 3. coram Carillo*, ibi = *Non obstat, quod litteræ resignationis ad fauorem Resignatarij expeditæ fuerint in forma dignum, vnde &c. continet mandatum de prouidendo, & sic ante iustificationem non abdicat Ius à Resignante &c. Quoniam placuit responsio, nempè, quod hoc procedit, quando Resignatio non potest habere effectum, puta ob defectum idonei-

neitatis Resignatarij, *vel ob impossibilitatem iustificationis narratir quæ &c. secus verò quando &c. Tunc enim Beneficiū dicitur vacare per Resignationem, quamuis ante approbationem Resignatarij, Resignans decesserit &c. perindè ac, si prouisio Resignatarij pura fuisset, quia clausula*, quatenus idoneus repertus fueris, *non facit gratiam conditionalem quoad substantiam, sed solum quoad executionem, & qualitas illa idoneitatis iam inerat tempore gratiæ &c.* = *dicta decis. 256. num. 4. par. 12. rec.*, ibi = *Nam placuit distinctio, quod hoc tunc demum procederet, quando Prouisi Apostolici idoneitas esset impossibilis probationis, ex quo &c. Secus verò, quando habilitas Resignatarij, vt in præsenti, probari potest: Tunc enim cum à principio de tempore prouisionis in rerum natura verè reperiatur, licet à nobis cognita non sit &c.; hinc fit, quod per illam clausulam sola executio, non autem substantia gratiæ conditionalis effecta, Ius à Resignante omninò abdicat &c.* = plenè discusso articulo *in Meleuitana Beneficij* 19. *Ianuar.* 1702. §. *Cæterum coram bo. me. Ansaldo, & in confirmatoria* 18. *Iunij* 1703. §. *Nam huic coram clar. mem. Card. Priolo*; & explicando etiam, atque conciliando contrarias auctoritates, *in Bouinen. Archidiaconatus* 2. *Iunii* 1713. §. *Ponderantibus, & seqq. coram Eminentissimo Scotto*, ibi = *Quamuis enim Dominicus haberet gratiam Resignationis in forma dignum, & cum clausula, dummodo Resignans haberet vnde viuere posset: tamen illam iustificauerat, vel saltem iustificabilem reddiderat &c.*, *in quibus terminis lis feriebat titulum, & Ius Dominico quæsitum, quia gratia non erat conditionalis quoad substantiam, sed quoad executionem dumtaxat, suspensam vsque ad declarationem faciendam ab Executore, quæ suspensio non reddit gratiam conditionalem, nec impedit acquisitionem Iuris vsque ab initio.*

Igitur cum sit indubitatum, quod inerat de tempore gratiæ iustificatio plena, & concludens, quod D. Lucas Aduersarius haberet aliundè commodè viuere; quod adeò constat, vt nunquam in hoc Sacro Auditorio ausus sit hoc impugnare, quinimò præuio iuramento fassus fuit in mandato procuræ ad resignandum, *nost. Summ. num.* 1., ac itidem Summo Pontifici expresserit occasione petendi gratiam si neutri, post hanc litem instructem, *Summ. Addit. num. 4. lit. C.* quod habebat aliud Beneficium simplex in Parochiali Ecclesia Villæ de la Rambla annui redditus duc. 50. auri de Camera, ac pensionem ducatorum 187. Apostolica auctoritate reseruatam super fructibus Canonicatus, de quo reperiebatur prouisus in Parochiali Ecclesia Hispalen., D. Iosephus Morales, *Summ. d. num.* 1., ac etiam constat ex prouisione eiusdem Canonicatus de anno 1723. vacat. per obitum dicti Morales per Sanctissimum collati de mense Aprili 1723. fauore D. Ioannis Pons de Leon, qui expressit, d. Canonicatum reperiri grauatum annua pensione ducatorum 187. auri de Camera fauore dicti D. Lucæ del Puerto illam annuatim percipientis,

tis, *Summ. in calce num. vnic.*, & de possessione d. Beneficij, & perceptione d. annuæ pensionis, constantissimè etiam deposuerunt sex Sacerdotes, *nost. prim. Summ. num.7.*, ac etiam plenè constat ex confessione per d. Lucam emissa in calore huius Causæ coram Summo Pontifice in gratia *si neutri, Summ. Addit. num.4. litt.C.*; sumus profectò in themate, quod si quæ potuisset vnquam inesse conditio Gratiæ Resignatarij, de qua agimus, ob eam circumstantiam, quod Beneficium resignatum esset illud, cuius titulo idem Resignans fuerat ordinatus, vtique ista conditio fuisset suspensiua executionis dumtaxat, & habuisset omnimodè promptam iustificationem, & sic non impediuisset vnquam acquisitionem plenarij Iuris vsque ab initio fauore Resignatarij, vt probant citatæ auctoritates, & signanter *Rot. in dicta Bouinen. Archidiaconatus coram Eminentissimo Scotto, impress. decis.14. num.21. & seq. in Append. decis. select. in Formul. legal. pract. Monacell. to.4.* & prius in terminis clausulæ *Quatenus idoneus repertus fuerit*, magistraliter pariter firmatum fuerat *in Burgen. Canonicatus coram Pamphil. sen. impress. apud Marchesan. de Commiss. par.1. cap.2. fol. mihi 142. num.3.*

Retentis autem terminis huius distinctionis, extraneæ etiam comperiuntur auctoritates in oppositum afferri solitæ; nam procedunt præcisè non solum in terminis gratiæ verè conditionalis, sed totalis exclusionis verificationis illius conditionis, quod Resignans haberet, vndè commodè viuere posset, istaque exclusio comprobata esset legitimis documentis ab ipso Resignante, vt patet ex ijsdemmet auctoritatibus, & signanter *ex decis.106. num.8. coram Otthob.*, & meliùs *ex confirmatoria 194. à num.3. ad fin. coram eodem, & ex decis.1509. num.13. coram Coccin.*, quæ vnicè fundatur in defectu totali substentationis Resignantis absque Beneficio resignato, & inde concludunt, nullum Ius quæri in illo potuisse Resignatario. Si verò in casu nostro verificata erat vsque ab initio possessio alterius pinguis Beneficij, & Pensionis eximiæ quantitatis in Resignante, quam neque ille hodie audet impugnare; quæri sanè potuit Ius Resignatario etiam ante vllam declarationem Executorum, quæ non pro substantia gratiæ vnde oritur Ius Prouisi, sed pró sola executione requiritur, vt concludit *egregia decis. R.P.D. Ponentis § Vtique in fin.*

Absque eo, quòd vlteriùs substineri possit suspensio acquisitionis Iuris fauore Resignatarij ex mandato Procuræ dato ad resignandum sub conditione, vt omninò quæreretur eidem Resignatario, ad hoc, vt ad Sacros Ordines promoueri posset, quasi dum Beneficium adeptus mediante possessione non fuit, nec ascendit vnquam ad Sacros Ordines, non fuerit adimpleta conditio, à qua pendebat voluntas Resignantis dimittendi Ius sibi competens in Beneficio. Quandoquidem, vt plenè respondit fauorabilis *decis. §. Minusque*, nulla conditio, nullaque Iuris suspensio legitur neque in parte dispositiua eiusdem

dem mandati, neque in litteris Apostolicis, ex quibus de cętero ius suum metitur Resignatarius, cum hæ nullam relationem habeant ad tale mandatum, sed purè conceptæ sint, quod vtique sufficit, vt nulla inesse dicatur conditio acquisitioni Iuris fauore Resignatarij, cuius gratia, & ius vnicè pendent ab auctoritate Papæ, & à voluntate Papæ legem recipiunt, vt notat in puncto *Lotter. de re benef. lib.2. quæst.40. num.14. & seq., & lib.3. quæst.14. num.70.*, ibi = *Et sic est considerandum quid habuerit in animo Papa, à cuius auctoritate gratia pendebat &c., non autem quid fortè habuerit in mente Resignans, à quo in effectu nullum prorsus Ius consequitur Resignatarius, sed à Papa tantum* = *Rot. decis.171. num.11. & 12. coram Royas*. Quotiès autem nulla profluit conditio à parte dispositiua talis mandati, neque vllo modo comperitur in litteris Apostolicis, nimis profectò vanum est illam inducere velle ex narratiua præmissa in procemio eiusdem mandati, quæ siue nullo modo potest vincere adeò claram dispositiuam apertè sonantem in liberam resignationem, *nost. prim. Summ. num.1. litt.D.*, ibi = *liberè, & absque vlla conditione, & reseruatione* = iuxta ea, quæ monent *Adden. ad Ludouis. decis.522. num.21., Rot. decis.65. num.41. coram Otthob., decis.123. num.11. part.17. rec., & decis.649. num.5. coram Emer. Iun.*, siue non designat causam finalem, sed tantummodo impulsiuam, qua cessante, actus resignationis non resoluitur, sed adhuc sortitur effectum, cum actus remaneat purus, & simplex, vt docent *Fagnan. in cap. cum dilecti n.33. de renunc. Gabriel. cons.57. num.8. lib.2. Berò cons.65. num.15. lib.1. Gigas de Pens.quæst.21. num.3. Bonden. collect.23.num.32. & seq., Rot. decis.229. num.3.4. & 11. coram Merlin., in rec. decis.20. num. eod. par.5.*

Remque ità se habere planè patet inspecto tenore eiusdem narratiuæ in principio mandati, vbi Resignans professus est *Iustas ob causas animum suum mouentes* deuenire ad actum talis resignationis fauore Blasij de Beltran, *vt in d.nu.1. lit.A.*, vnde patefecit, quod non sola causa eum impellebat curandi, vt dictus Blasius ad Ordines promoueretur, sed & aliæ aderant causæ, ex quibus quoque motus fuerat ad resignandum;& propterea non per hoc,quod aliqua ex huiusmodi causis,vt puta illa ascensus Resignatarij ad Sac.Ordines non fuerit impleta, resoluta dici potest resignatio; quia, concurrentibus pluribus causis, inadimplementum vnius, non operatur contractus resolutionem, vt tradunt *Mandos. ad regul. Cancellar. lib.2. regul.23. par.4.n.4. Gobb. consult.21.n.9. Tondut.resol.Benefic.cap.45. num.3. & 6. Rot.decis.110.num.16. coram Buratt., decis.251.nu.12.par.5. rec. decis.1019.num.14.coram Emer.Iun. decis.90. num.18. coram bo.me. Ansaldo*, cum alijs adduct. *in decis.quæ reuidetur §.Minusque in fin. coram R. P. D. Cerio Ponente*. Maximè verò à dicta vnica causa ascensus Blasij ad Sacros Ordines pendere dici non potest resignatio; quia eidem Blasio non iniunctum extitit vllum onus Ordi-

nes

nes assumendi, sed tantummodo dictum fuit = *vt ordinari possit, & prosequi, vt intendebat Statum Ecclesiasticum* = *d. nu. 1. lit. A.* Quod cum ostendat relictum esse assumere Ordines in potestate eiusdem Renunciatarij, qualem significat verbum illud *Possit* in contractibus, ad differentiam vltimarum voluntatum, semper facultatiuum, ad *Text. in l. sæpe, & l. generaliter ff. de Off. Præsid., & l. non quidquid ff. de Iudic. ibique Bald., Rot. decis. 389. n. 8. cor. Buratt. decis. 85. n. 7. coram Gregor. decis. 297. num. 17. coram Vbald., & decis. 415. num. 18. coram Cerro,* concludit vtique, non inde pendere potuisse resolutionem resignationis, & acquisitionem Iuris fauore Resignatarij, in cuius libertate volitum fuisse dici non potest, vt non obstante litterarum expeditione, dimissione Resignantis, adeptione possessionis illius fauore, adhuc Iuris acquisitio staret in suspenso, & actus resignationis à Papa admissus, & exequutus consumptus censeri non valeret.

Ad tertiam hinc transeundo obiectionem non factæ dispositiuè expressionis eius specifici mensis, in quo contigit vacatio Beneficij ad formam *Regulæ 9. Cancellariæ*, subsistit omninò in facto, quod expressum fuit, obitum Blasij sequutum esse in vno ex mensibus vigore dictæ Regulæ reseruatis, & subsistit itidem in Iure, quod hoc sufficiat, vt eidem Regulæ satisfactum sit, cum specialis illa mentio necessaria sit, vbi agitur de aliquo possibili concursu Ordinarij Collatoris cum Papa; Sed quando res est de vacatione certò sequuta in mense S. Sedi reseruato, sufficit generalis expressio vacationis sequutæ in vno ex mensibus sub reseruatione cadentibus; quia iam inde Papa fit plenè conscius, quod prouisio illius Beneficij ad ipsum pertineat, vt est constans opinio huius Sacri Auditorij firmata discusso articulo, non relatiuè ad concordata Germaniæ, vt exaduerso obijciebatur, sed declaratiuè ad *Regulam 9. Cancellariæ, in Hyldesimen. Canonicatus 20. Ianuar. 1717. §. Plenissima coram R. P. D. Cerro, & 14. Martij 1718. §. Haud obsistente, & §. Non releuantibus coram Reuerendissimo Crispo*, & prius docuerat *Gonzal. ad eandem Regulam in proœm. 4. num. 6. & 7.*, firmauerat pariter *Rot. decis. 122. per tot. par. 3. diuers. lib. 1., & in Abulen. Cappellaniæ 28. Iunij 1715. §. Nec retardanda coram bo. me. Ansaldo*, ac nuper quoque dictum fuit *in Oriolen. Parochialis 15. Febr. superioris anni §. Vitium, coram eodem R. P. D. Cerro.*

Causa ex his absoluta iam est pro confirmatione fauorabilis nostræ decisionis, sed adhuc superest, vt Dominum Petrum Principalem expurgemus nota odiosi Expiscatoris, & Impetratoris, quæ illi exaduerso studiosè curatur impingi. Id verò admodum facile est; quia ille quidem Expiscator, & Imperator odiosus dicitur ex stylo Curiæ, qui Beneficia impetrat à S. Sede iam alijs collata, ex aliqua suggesta insinuatione, & mendaci supposito, denunciando suggestionem, & mendacium alterius, & in quoddam premium huius denun-

nunciationis, seù reuelationis idem consequendo Beneficium, vt egregiè explicant *Lotter. de re Benef. lib.2. quæst.44. num.2.*, *Rot. Florent. penes Modern. Lucen. ad Ceccoper. decis.52. num.66.*, *&* *decis.38. num.1. coram bo.me. Ansaldo*, & in huius generis Impetratore ratione præsumptæ calumniæ militat omnis odibilitas, omnisque rigor Iudicantium, vt concludit *Lotter. cit. quæst.44. num.3.* Talis porrò dici certè non potest Dominus Petrus Principalis, qui non alio modo prouisus fuit à Sanctissimo, nisi tamquam de vacanti per obitum Blasij Beltran sequutum in mense reseruato, ac verè, & propriè dici debet prouisus Apostolicus, qualis semper censetur is, cui Papa prouidet tamquam de vacanti, vel de Facto, vel de Iure, & vel per cessum, vel per decessum, vt consentaneè ad stylum Curiæ benè distingunt *Lotter. dicto lib.2. quæst.44. num.2.*, *&* *Amayden. de stylo Datar. lib. 1. cap. 24. §. 1. num. 46. vers. notandum*.

Tanto magis quia litteræ fauore Principalis fuerunt expeditæ *in forma gratiosa*, in qua forma nunquam expediuntur Gratiæ expiscatoriæ, sed *in forma Dignum*, siue mandati de prouidendo, & cum clausulis *Constito*, *&* *Amoto*, & similibus, quæ faciunt Executorem mixtum, & necessitatem inducunt rigorosæ probationis coram Executore eius causæ, propter quam fuit impetratum alterius Beneficium, vt optimè testatur *Card. de Luc. de Benefic. disc.134. num.4. in fin.* ibi = *Litteræ Apostolicæ, quæ super huiusmodi impetrationibus expediri solent, semper continent clausulas Constito, & Amoto, & similes, quæ faciunt Executorem mixtum &c.* = Sicut itaque cessat in Principali odium Expiscatoris, ità è conuerso intrat fauor legitimè Prouisi, vt eius litteræ celerem obtineant exequutionem, ad *Text. in cap. super litteris de Rescriptis, & in cap. si Capitulo ibique Gloss. verb. Exequatur de concess. Præben. in 6.*

Quare &c.

Ioseph Andreas Scaramutius Aduoc.
Maurus de Cauallettis.

SVMMARIVM

Num. vnico.
Prouisio Canonicatus vacat. per obitum Ioseph Morales in Ecclesia Hispalen. fauore Ioannis Pons de Leon sub die prima Aprilis 1723.

HISPALEN.

B*Eatissime Pater*. Cum Canonicatus, & Præbenda Ecclesiæ Hispalen. per obitum q. Iosephi de Morales Bareion illorum dùm viueret vltimi possessoris extra Romanam Curiam de mense Sedi Apostolicæ reseruato defuncti &c. vacauerint, & vacent ad præsens. Supplicat igitùr humilitèr S.V. deuotus illius Orator Ioannes Pons de Leon Clericus nobilis Hispalen.

len. &c. quatenus &c. Canonicatum, & Præbendam prædictos, quorum &c. fructus 24., computatis verò distributionibus quotidianis, alijsque incertis 1200. ducat. auri de Camera &c. valorem annuum non excedunt, *super quibus pensio annua antiqua 187. duc. auri similium cum dimidio &c. alterius ducati paris deuoto vestro Lucæ del Puerto Clerico, seù Presbytero, aùt aliàs pensionis huiusmodi capaci illam annuatim percipien. Apostolica auctoritate reseruata &c. reperitur*, siue præmisso, siue alio quouis modo &c. vacent &c. eidem Oratori conferre, & de illis etiam prouidere dignemini de gratia speciali, non obstantibus &c.

A *Expressit Summo PP. reperiri grauatũ annua pensione ducat. 187. auri fauore D. Lucæ del Puerto*

Fiat vt petitur, M. A.

Et cum absolutione &c. *Datum Romæ apud S. Mariam Maiorem Kalendis Aprilis anno 2.*

Philippus Lancianus Maruffus pro R̃mo D. Vic.

F. de Grandis &c.

Ex lista 3. Octobris 1722. Reg. lib. 17. fol. 15.

R. P. D.

CORIO

Corduben. Præstimonij.

PRO

D. Petro Velasco.

CONTRA

D. Lucam del Puerto.

Restrictus Facti, & Iuris

Typis Zinghi, & Monaldi 1724.